DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM

DE

ARTIS APOLLINARIS,

EX AEVO AESCULAPIANO AD GALENICUM,

STATU COMPLECTENS.

13

DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM

DE

ARTIS APOLLINARIS

EX AEVO AESCULAPIANO AD GALENICUM,

STATU COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS HEYLIGER RUAN,

EX INSULA SANCTAE CRUCIS,

CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

MDCCCXVIII.

PATRI CARISSIMO,

GULIELMO RUAN, ARMIGERO,

DE "HANNAH'S REST,"

APUD

INSULAM SANCTAE CRUCIS,

HOCCE OPUSCULUM,

PEREXIGUO SANE ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIO

SUMMA PIETATE

SACRAT

FILIUS.

JOANNI M'CAUL, ARMIGERO,

DE " CRAIG BANK,"

JUXTA GLASGUAM,

AUCTOR.

Tibi, vir spectatissime et optime, grates persolvere dignas, prae multis beneficiis acceptis, ex quo juvenis haec littora petierim, in medicinae et literarum studium incubiturus, usque ad hunc diem, vix equidem opis est meae. Quod tamen mihi nunc licet publice profiteri, quanti te aestimo, quantumque tibi debeo, valde oblector. Diu tuis omnibus laetus intersis, serus in coelum redeas, rei publicae beneficio, generique humano decori, Deum optimum maximum precor. Vale.

EDINBURGI,
Kalendis Augusti.

DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM

DE

ARTIS APOLLINARIS,

EX AEVO AESCULAPIANO AD GALENICUM,

STATU COMPLECTENS.

MENS humana, etsi permultis dotibus praeclaris et nobilissimis potiatur, angusta tamen et imbecilla, nec plurium est rerum capax, nec citra fatigationem ardua emolitur: unde factum est, ut quocunque disciplinae genere versetur, haud unquam, nisu unico et subitaneo edito, singulas ejusdem partes penitus explorare, nodosve expedire, possit. Sive equidem ad ethicen, sive ad varias artes, quae ad cultum, et bene beateque vivendum, operam conferant, animos ver-

tamus, molimina ingenii humani ineuntia res incomptas, rudes, et indigestas parire, intelligimus: demumque, per secula multa, crebrius adhibita, sensim et quasi pedetentim easdem expolire, atque forma et nitore quaesitissimis tandem exornare. Ex omnibus artibus et disciplinis, quas mens humana tentaverit, nulla Medicina utilior, nulla clarior; quippe quae aegris salutem, nec raro perituris vitam polliceatur, et afferat. De hac potissimum jam relata praedicare licet; quam, etiamsi viri acerrimo ingenio nusquam et nunquam non altius eam scrutati fuerint, et subtiliter excoluerint, plurimi tamen adhuc errores torquent, maculaeque obscurant. Limites perexigui, quibus opuscula hujusmodi contineri soleant, vetant quo minus artis Machaoniae cursum devium et multiplicem ab antiquissimis temporibus usque ad hodierna, indagare coner. Rei tamen utilitate impulsus, et aliquid de re medica scribere coactus, vestigia praecipua hujus artis pernobilis exquirere, et incrementa, quae acceperit, mutationesve insignes, quas subierit, proponere statui; ex quo Aesculapius, primus, uti fertur, omnium ejus cultorum, floruerit, usque ad aevum Galenicum.

Non nisi primas argumenti tam late patentis lineas hic depingere consilium est, levioribus multis rebus praetermissis. Nulla partium omnium, quas medicina amplectitur, plures quaestiones perutiles offert, aut orationem longiorem desiderat, quam ipsius historia. Eo enim nunc tandem ars Machaonia exculta et provecta fuit, ut in partes complures diducta fuerit; quarum singulae generis humani saluti perquam consulant, in tantumque mutata est, eoque per secula multa vacillavit, ut ejus integrum progressum, ex quo AESCULAPIUS in Deorum Immortalium numerum receptus fuerit, usque ad medicinae hodiernae gloriam et decus, multos libros amplissimos conficere foret. Imo vero historia illa brevior, quam selegi, etsi aliquanto obscuriori luce illustrata, non pauca tamen inquisitu et memoratu dignissima sibi praefert.

Historiam propositam ita persequar, ut in duas partes diducatur; quarum altera ab aevo Aesculapiano ad Hippocraticum; altera ab Hippocratico ad Galenicum, pertineret. Illa se ula septem, vel septingentos circiter annos; haec fere sexcentos annos complectitur.

DE RE MEDICA AB AEVO AESCULAPIANO AD HIPPOCRATICUM.

Aevum Aesculapianum tenebris altis et fabulis obscuratur: quaeque mira et incredibilia poëtae cecinerint, et historici literis mandaverint, eo invicem miscentur, ut vera a fictis discerni vix aut ne vix quidem possint. Quae vero de hoc aevo noverimus, e libris aut ab Hippocrate aut ejusdem seculi auctoribus conscriptis deducta sunt, quam plurimis commentitiis profecto inquinata et confusa.

Graeci primi omnium de arte medendi scripserunt; certeve nobis ita praedicare licet: quibus, exustis libris Alexandrinis, tam pauca scriptorum veterum, Graecis exceptis, superfuere. Historia a Graecis tradita ex Aesculapio coepit, qui annis mille et ducentis ante Christum natum, et septingentis ante Hippocratem, florebat. A fonte dubio accepimus equidem Melampum quendam aliosque prius aegris arte mirabili succurrisse; quod, veluti auctoritate levi

aut nulla fretum, prorsus abjiciendum existimo. Aegyptios porro, vel ante Melampum (qui mille et quingentis annis ante Christum natum vixisse fertur) victu et remediis acerrimis in partium interiorum morbos usos fuisse, didicimus. Quum tamen hic apud scriptores fide dignos siletur, constat vel omnino non credendum esse; vel statuendum tempus edax, aut barbarorum furorem libros, unde harum rerum cognitio ducta fuerit, diruisse.

Aesculapius Apolline natus artem medendi didicit, auspicibus patre et centauro Chirone: quod ita profero, ut irrideam, neque ulla fide digner. Plerique Graecum Aesculapium tulerunt; alii Phenicia oriundum tradiderunt, nomen ipsum vocibus Pheniciis, quae "homo" et "scalpellus" significant, derivatum professi. Alii Aegyptium contenderunt. Qua autem satus fuerit gente, quam minimi interest. Aulus Cornelius Celsus, ornatissimus omnium, qui apud Latinos medicinam secuti fuerint, Aesculapium primum omnium aliquanto subtilius hanc scientiam adhuc rudem et vulgarem excoluisse scribit. Verum enimvero manca et indi-

gesta perstabat res medica: non equidem inficias est eundum, quin aegri permulti ad sanitatem tunc temporis perducerentur; nec raro curatione satis bona operam conferente. Illud solum assero, hucusque medendi rationem nec leges nec praecepta certa aut lucida habuisse: neque raro vires naturae medicatrices, non medicinam, opem laborantibus attulisse. Quali curatione AESCULAPIUS aegris opitulari soleret, parum intelligimus; oratione enim non literis posteris tradebatur: cui accedebant literae columnis templorum Deo salutifero sacrorum insculptae; quae signa gravium morborum et curationes memorabiles describerent. Unde medicina antiqua magna ex parte periit.

Summi honores, quibus ipsi reges et imperatores AESCULAPIUM decorarint, laudesque et fama egregiae, quibus potitus sit, satis superque arguunt medicinam ab eo insigniter excultam esse et provectam. Primus omnium aegris cubantibus assidere et succurrere solitus esse fertur; quam artis medendi partem medicinam *Clinicam* vocamus. CLIFTONUS quoque contendit eum medicinam *gymnasticam* invenis-

se *; cui penitus assentior. Harum tamen utramque posteri admodum auxerunt; Clinicam HIPPOCRATES; Gymnasticam HERODICUS, PRODICUS, aliique bene multi.

Vulgus demum, miris curationibus Aesculapianis arti pene divinae tributis, ipsum auctorem Deum habere, defunctoque ei templa sacra aedificare coepit. Hisce extructis, protinus ingens multitudo aegrorum huc undique confluebat, sacerdotes petitum, qui opem, pacato Deo, impetrarent; quosque ipsa Aesculapiana scientia divina fuisse donatos, crediderint aegri. Sententiam ab his pronunciatam quasi oraculum afflatu Divorum ortum acceperunt; et sacerdotes proemiis nobilissimis et opibus summis ditarunt. Hi vero divitiarum, quas inde adepti sint, memores, pluribus ritubus institutis, animos aegrorum superstitionibus deditorum devinxerunt: delubra statuis et simulachris literis sacris obductis, quae *ieroglyphicae* nominantur, implerunt; parietes scriptis historiis sanatorum obtexerunt, mirabilique arte con-

---

* Vide Clifton's State of Physic, Ancient and Modern, p. 5 et 6.

fectis. Vulgus rude et ignarum ista, veluti sublimia et scientia maxima prognata, admiratum est; et per secula multa astutis illis sacerdotibus servivit.

Neque vero silere oportet de parte satis honesta et perutili medicinae, quam sacerdotes excoluerint. Priusquam aliquem aegrotantium in aedem acceperint, quasdam leges et praecepta sancita nunquam non servari curarunt: nimirum jusserunt, ut aegri imprimis se precibus et aliis caeremoniis rite perfectis expurgent et praeparent; dein, ut triduum vino abstineant, ciboque horas viginti quatuor: et crebro balneo utantur. Admissi aegri ritus pene innumeros subierunt: istis exactis, remedia et manu adhibita sunt, et ingurgitata; quae nominibus designarentur perquam sublimibus et singularibus; quibusque adjecta carmina et *amuleta*.

Judicare licet, sacerdotes istis usos esse remediis duplici consilio; quibusdam scilicet, ad animos aegrotantium obcaecandos, ne ipsorum inscitia his pateret: aliis, ad morbos ipsos radicitus tollendos. Illuc referenda preces, ritus, caeremoniae, carmina, *amuleta*: opus erat hisce artis divinae indiciis, quo populus barbarus et

ignarus medicinam satis veneretur et colat. Reliqua remedia, victus nempe parcus et severus, balneum, inedia, et quae sunt hujusmodi, procul dubio persaepe profuere, optimo consilio excogitata. Non enim dubitari potest, quin sacerdotes Aesculapii, aegris quotidie succurrere soliti, crebro ea molimina, quibus natura medicatrix valetudinem adversam fuget, conservatrix eandem praecaveat, et secundam tueatur, observaverint. Quibus perspectis, artem in auxilium vocarunt, quae naturam morbis saepe frustra obnixam adjuvet, foveat et imitetur.

Ab Aristide, oratore, quem aegrotum saepe curaverint, accepimus, eos, praeter auxilia medicinae jam relata, vomitu ventriculum sollicitare, alvi dejectionem medicamentis moliri, et sanguinem vena arte incisa detraxisse; ab eodem didicimus Asclepiades venam saepenumero secuisse. Quamvis igitur ambitus et astutiae sint interrogandi, non illico verum progressum et incrementum medicinae aut minimi aestimarunt, aut omni ex parte praetermiserunt. Sine dubio medendi scientiam rebus quam plurimis, nec levioribus locupletarunt, usu et ex-

perientia, ducibus et auspicibus praeclaris, innixi: id quod CELSUS satis comprobaverit.

Aedes AESCULAPIO sacrata tanta multitudine aegrotantium assidue referciebatur, ut non multo postea alia templa aedificarentur: et ubicunque extiterint, eo confluxere opes et copiae. Filii AESCULAPII, PODALIRIUS et MACHAON, quoque salutiferae artis peritissimi fuére: illum in bello Trojano vulneratum Graeci majori fletu miserati sunt, quam reliquos heroüm, qui in Troja expugnanda ceciderint; tantae fuerunt laudes, quibus AESCULAPII filios prosecuti sint. Diu horum posteri summis medicinae honoribus potiri non desierunt; et tandem Scholas vel Academias Apollinares tres constituerunt, scilicet Rhodiam, Coäm, et Cnidiam. Rhodia, prima omnium, brevi concidit: caeterae complures annos percelebres floruere.

Hucusque medici usu et experimentis unicis confisi sunt; et nisi alia auxilia demum prodiissent, serius ocyus, ni fallor, medicina in barbariem incultam recidisset. PYTHAGORAS tandem Samoüs annis circiter quingentis et viginti ante CHRISTUM natum, et sexaginta ante HIPPOCRATEM, primus omnium medicinam rationalem

reddere conatus est; PHILOSOPHIAM scilicet ei ancillam adhibuit. Quemque, etsi graviter et permulta errasse confiteor, falsis usum rationibus, illa tamen eximia laude dignandus est; quod primus omnium hanc viam medicinae excolendae patefecerit. Nec exigua ea laus habenda; siquidem hodierni probe jam cognoverint artem medendi non nisi rebus ipsis ad eam pertinentibus imprimis acriter notatis, postea rite ordinatis, vel ad leges relatis; id est, usu et ratione, provehendam esse. Hic vero maxime cavendum, quo minus ad alterutrum horum prae altero inclinemur, neve inter verum quaerendum ejus umbra captemur. Luculenter scripsit GREGORIUS, "Utcunque vero necessaria in rebus medicis ratiocinatio fuerit, tamen oportet omni cura et diligentia distinguere inter res observatas et auctoris de iis judicium; ita ut siquando hoc fallax fuerit, certa experientia maneat, et sagaciori aut fortunatiori medico suum usum praestet."

Quum PYTHAGORAS hanc scientiam in tantum mutaverit et quasi nobilitaverit, non dubitari potest, quin apud suos plurimi aestimatus fuerit. Qui vero aliquid novi inveniunt, perraro

idem subtiliter expoliunt: quanquam igitur hunc fateamur omnium primum rem medicam rationalem reddidisse, eoque semitam novam et utilissimam ostendisse, non illico laudandas rationes ab eo excogitatas opinamur: de quibus, omnino ablegandis tacere, quam inutiliter orationem producere malui. Proximum est, ut ad aevum Hippocraticum transeam.

DE MEDENDI SCIENTIA AB AEVO HIPPOCRATICO AD GALENICUM.

Per septingentos igitur annos medicina superstitione et caligine obruta quam minime increvit aut claruit. Ab Aesculapiana gente unica diu exculta posteris oratione, non literis commissa est; demum rationibus, potiusve somniis Pythagoreis penitus vitianda.

Tandem Deus optimus maximus effecit, ut immortalis Hippocrates Coüs, quem artis Apollinaris patrem veneramur et colimus, eandem novet, illustret, et perinde renatam exhibeat, quasi prius ruisset. Novata nunc medicina, ex-

utis amuletis et anili superstitione, servatis simul et ampliatis remediis idoneis, nitere coepit. Nec vero sperandum foret, ut, aliis artibus et disciplinis adhuc imperfectis, ignotis aut rudioribus, ars medendi extemplo summa potiatur gloria; semper enim haec et illae sibi invicem auxilium attulere.

Siquidem haec argumenti propositi pars adeo est multiplex, ut quodammodo medicinam plurium gentium propriam complectatur, quo lucidior et clarior fiat, eandem tripartitam prosequar: imprimis, Graecam medicinam, dein Aegyptiacam, postremo, Romanam; id est, auctores harum gentium praecipuos, cursumque artis salutiferae apud eos rectum, devium, aut refluum, depingere conabor.

1. Hippocrates Coüs, Aesculapio quoad stirpem paternam, Hercule, maternam, natus est. Floruit, sceptrum habente Artaxerxe Longimanno, Persarum rege, necnon Socrate, Herodoto et Thucydide genus humanum collustrantibus. Alii anno quadringentesimo quinquagesimo octavo, alii quadringentesimo et sexagesimo, quidam quadringentesimo vigesimo quinto ante Christum, natum esse tulerunt. Rectius primi horum nobis conjectasse viden-

tur. Stirpe divina a vulgo genitus esse habitus, eo plus fidei et honoris sibi adscivit. Tantum sane majoribus discrepuit, inanibus caeremoniis, et superstitiosis ritubus vero honestoque posthabitis, ut omnes, qui de eo scripserint, perinsigni laude ejus indolem optimam, animumque probi, veri et recti amantissimum concelebraverint. Quaecunque ab HIPPOCRATE scripta nobis superfuerint, ingenium arguunt acerrimum, ad quaerendum arduum, omnia circumspiciendi avidum, dolos arcanaque inhonesta exosum, veri unici tenax. Nunquam medicamentis mirificis decantatis, aut falsis caeremoniis prolatis, populum captare nititur; sed, Pythagoreis rationibus abjectis, usui et experimentis potissimum confisus est; quorum ope res medica inclarescat, amplietur, aut corrupta expurgetur.

Nihil profecto HIPPOCRATES suos frequentius edocuit, nulli rei magis institit, quam ut experientia, auspice et duce, utantur; quo scientiam medendi exornent et promoveant. HIPPOCRATE florente, reliquae artes, disciplinae et scientiae tantulum hucusque profecerant, ut tunc temporis rationes subtiles finxisse, quae causas morborum continentes, signa, et quae

sunt hujusmodi, exponant, summae temeritatis hodiernis videretur. Talis vero est habitus mentis humanae innatus, ut ad ratiocinandum quam acriter observandum paratior, assidue rationes quam paucissimis rebus prius cognitis deductas et confectas moliatur. Lugendum ideo modum rei medicae augendae Hippocraticum, quippe qui laborem animi quaesitissimum flagitat, non multo postea obsolere coepisse.

Hippocrates rationem, medicinae auxiliatricem, nequaquam ablegavit; eandemque nec pluris, nec minoris aequo aestimasse videtur. Medicos jubet, rationem duci arriperent, solummodo ubi res ipsae adeo essent evidentes, ut citra errorem ratiocinari liceret; ne autem, inanibus inventis rationibus, penetralia, quae sacro natura obduxerit involucro, perperam explorare conarentur; at semper illas e rebus satis perspectis conficerent. Constat igitur patrem medicinae consilium Baconiense ipsum, quod ad hanc artem pertinet, luculenter explicuisse; quae sane maculis, et nubibus innumeris, quales nusquam et nunquam non eam polluerint et obcaecaverint, caruisset, si medici hunc vi-

rum praeclarum imitati fuissent. Confiteor tamen vel HIPPOCRATEM non penitus somniis et erroribus Pythagoreis vacasse; nisi equidem quibusdam assentiamur professis, eos libros Hippocraticos, qui istis ineptiis maculantur, non ab ipso patre rei medicae venerando, sed ab ejus aemulis esse conscriptos; nomine illo inclyto praeposito, quo fide majori digni existimentur. LE CLERCIUS, SPRENGELIUSque hoc, perinsigni acie et ingenio adhibitis, quam clarissime nobis comprobasse videntur: quo perspecto, culpae istius absolvendum HIPPOCRATEM opinor.

Quum de medicina Hippocratica, et ipse, et aemuli ejus permulta fuse et lucide literis tradiderint, in animo est quam brevissima oratione, opiniones, rationes, et remedia, quibus hic celeberrimus naturae scrutator usus sit, proferre.

Quo melius HIPPOCRATES actiones corporis, quibus valetudo secunda et adversa contineatur, explicet, principium acre animantibus praeesse, cui nomen natura, ponit. Hanc moderatricem, gubernatricem, conservatricem, valetudinem aut secundam aut adversam progignere contendit, prout validior sit aut imbecillior, aliundeve ei succurratur aut obstetur; et quae

sunt his similia. Naturam perhibuit sua vi propria et rectrici partem opimam et alituram ingestorum omnium ciborum ab altera nocitura secernere; dein efficere ut illa ad quasque corporis partes deferatur, haec contra viis idoneis excernatur; morbumque adesse siquando nociva et foeda adeo superfluant, ut natura ipsa per se corpus iisdem expedire nequeat; nisus porro abnormes, quibus haec luctatur, noxaeque obnititur, morbum conficere. Quantum et quousque HIPPOCRATES fabricam corporis humani, praecipueque partium ejus interiorum, perspexerit, non pro comperto habemus. Nec multo magis intelligimus, in quantum actiones, viscerum interiores, quas functiones appellamus, introspexerit. Partes omnes animantium tripartitas habet; nimirum, in solidas partes, liquidas, et in spiritus diducit. Solidas continere, vel continentes esse; liquidas, id est, succos solidis contineri vel includi; spiritus utrasque permeare, regere et movere, contendit. Succos distributione donavit satis singulari, et, ni fallor, inepta: ad genera scilicet eos retulit, prout plus minusve caloris et humoris sibi praeferant. Hanc autem Hippocraticae medicinae

partem longo sermone persequi inutile et alienum duco. Nosse tamen juvat, exinde derivatas esse rationes, unde causas morborum statuerit.

Quod ad curationes attinet, cum naturae molimina nunquam non ad salutem per se spectant, illis unicis remediis utendum esse contendit, quae naturae laboranti et imbecillae auxilientur: quod si fortuito natura aberrare vel devio cursu moveri videatur, remedia et auxilia concedenda esse, quae eam gubernent, et recte dirigant; id est, quaedam signa morborum abnormia remediis, quae actionem horum genitrici contrariam excitent, debellanda esse: ut exemplis utar, corpus perfrigens calefaciendum; exardens refrigerandum; plenum vacuefaciendum; sudore, alvo fusa aliundeve extenuatum implendum esse, &c. Ineunte febre, cibum febrienti sustulit, nec nisi pauxillum potus ejusque tenuissimi ingeri permisit. Hancce curationem tres quatuorve dies sequi solitus est, duplicique consilio: quo minus nimirum materia nociva morbi nutrix increscat; necnon, quo jam corpori inhaerens a natura medicatrice excernatur. Elapso triduo vel quatriduo, potum ali-

quanto largius dari sivit, usque ad diem quartum decimum, vel interdum diutius. Deinde cibus ingestus est; postremo, medicamenta, praesertim qualia vomitum et alvi dejectionem molirentur.

Illud potissimum medici curationi morborum Hippocraticae objecerunt; quod e remediis non satis valentibus aut acribus constiterit. Complures auctores non solum ejusdem temporis, verum etiam posteri usque ad aevum Galenicum, id vitio HIPPOCRATI verterunt. Prae omnibus autem ASCLEPIADES, qui fere centum annis ante CHRISTUM natum vixerit et Romae medicinam fecerit, eam rationem medendi vituperavit; quam non nisi "meditationem de morte futura factam" appellandam esse contendit; et quodammodo jure, ut opinor. Ad inflammationes tamen devincendas, sanguinem secta vena mittere, partes affectas liquoribus tepidis fovere, alvumque expurgare HIPPOCRATES solebat.

Materiam medicam permultum ampliavit; et praesertim eam hujus partem, quae φαρμακευτικη nominatur. Inter morbos acutos curandos, remedia admovit aptissima; et summa acie ea-

dem mutavit, prout notae valentiora aut debiliora postulaverint.

Res chirurgica porro non levia incrementa, auspice HIPPOCRATE, accepit. Non raro tamen, in vulneribus sanandis, aliisque malis curandis, quae manum adhiberi desiderent, curationem adhibuit severam et crudelem. Venas enim quam plurimum vacuefecit; ferro incandescente partes exteriores late alteque exulceravit: quae auxilia eo consilio admovit, ut actione nova excitata, morbi genitricem actionem fugaret. Omnes fere artis vulnerarii partes ei notissimae fuisse apparent.

Ne multa igitur, minoris existimandae sunt rationes et opiniones Hippocraticae, quam morborum historiae, quas accuratione summa hic medicus fidelis literis mandaverit. Nemo eventus eorum futuros acrius praesagivit, aut signa clarius depinxit: neque aliquis, ut conjicio, vel inter antiquos, vel recentiores, vel etiam hodiernos, febres melius descripsit; aut notis earum perspectis, de exitibus venturis rectius judicavit. Omnes fere antiquiores viri, cum Graeci, tum quoque Latini, nostratibus in hoc genere multum antecelluisse nobis videntur:

de qua re nulli, libris Celsianis, Hippocraticis, &c., ad febrem attinentibus perlectis, anticipiti haerere licebit. Pater rei medicae omnium primus, leges et praecepta servanda edidit, quae medicos in ipsis curationibus versatos juvent et dirigant: quaeque neminem ignorare oportet.

Duo filii HIPPOCRATIS, THESSALUS et DRACO, in medicinae studium incubuerunt; at vero nequaquam gloriam paternam attigerunt. Ille quosdam librorum Hippocraticorum conscripsisse fertur; neuter eorum rem medicam ditavit, vel ornavit, quantum accepimus. THESSALUS vires animi et corporis otio et deliciis contrivit, medicus ARCHELAO regi constitutus. DRACO tantuli apud suos habitus est, ut prorsus ignotus vixisset, nisi HIPPOCRATE natus esset. His consanguineus POLYBUS, eorum patre auspice et duce, medicinam Hippocraticam didicit; feliciter et perite eadem inter aegros curandos usus est; pluresque confecit libros permagni fieri solitos: ex quibus "De natura pueri" dictus, praesertim memoriae traditus est, voluminibus Hippocraticis fere inclusus. Hic primus soceri opera omnia collata edidit. Illi igitur, THES-

SALUS, DRACO, POLYBUS, ex HIPPOCRATE satis unici, medicinam excoluerunt: neque aliqui hujus discipulorum, iis sane exceptis, quotcunque fuerint, artem Apollinarem auxisse videntur.

PLATO, qui annis circiter triginta et duobus post medicinae patrem defunctum floruit, et paulo maturius PRODICUS, medicinam istam rationalem, quam PYTHAGORAS excogitaverit, renovare et prosequi conati sunt. Siquidem ille naturae penetralium scrutator acerrimus jure aestimatur, somnia ejus medica fidem aequo longe majorem sibi adsciverunt; nec affirmare dubitabo, hujus viri ingenium praeclarum medendi artem insigniter corrupisse; non omnino adjuvisse.

PLATO suos edocuit e quatuor elementis vel principiis, igne, aqua, aëre et terra, omnia, quae mundus habeat, fieri; horum particulas triangulas esse; aliquid demum eorundem superans aut deficiens in corpore humano morbum facere, aut valetudinem certe quodammodo perturbare. Febrem ardentem et partium inflammationes incitatas igne nimio contineri contendit; febrem quotidianam aëre, ter-

tianam aqua, quartanam terra, superantibus, oriri. Pari ratione, omnes fere morbos ad ista elementa turbata, vel male consociata, retulit. Haud minus de anima hallucinatus est: perhibuit plures quasi animas corpori humano inesse; ex his unam principem caeteris propositam imperare, cerebro infixam; ratiocinatricem, gubernatricem, providam, memorem, judicatricem; omnium scilicet operum, quae menti tribuimus, conditricem: reliquarum unamquamque propriae et suae sedi haerere; harum esse istos motus excitare, quos animi affectus appellare solemus. Incredibilia demum de uteri muliebris muneribus et actione jactavit.

Aristoteles Platonem mox secutus est; hic de arte medica quaedam scripsisse fertur, diuturnitate jamdudum deleta. Nobis tamen superfuere libri ejus de belluis confecti; qui partium interiorum naturae, sedium et officiorum, magna ex parte, inscium profecto arguunt; ingenium tamen amplissimum et ornatissimum praedicant; nec parum operae ad humani corporis fabricam illustrandam contulere.

Non multo postea claruit Theophrastus; veterrimus omnium, qui de plantis scripserint;

certeve omnium, quorum libri non perierint. Hujus autem opera minus ad artem Machaoniam, quam ad rem BOTANICAM et PHYSICAM spectant.

Ex quo POLYBUS medicinam fecerit, usque ad Aristoteliana tempora, opiniones et curationes Hippocraticae sensim et pedetentim desuetae fieri coeperunt; repugnantibus nimirum viris ingeniosis et clarissimis. Neque vero defuere alii eximii, qui illas amplexi summa ope tuiti sint et secuti: horum lugendum nomina unica non fluxisse; temporeque edaci obruta esse. COELIUS AURELIANUS, GALENUS et CELSUS hosce auctores memorarunt; nempe, DIOCLEM, CARYSTIUM et PRAXAGORAM; qui medici percelebres fuisse videntur. Post eos, nulli ex Atheniensibus studio rerum naturae feliciter incubuerunt.

II. Sol, qui Athenis occidit, splendidior ortus est, et enituit Alexandriae Aegyptiacae, PTOLEMAEIS praesidibus et auspicibus. Defuncto ALEXANDRO Magno, duces isti audaces et imperii avidi, qui terrarum orbem ejus legionibus praepositi domuerint, reges se constituerunt. Diviso imperio, PTOLEMAEUS Aegypto potitus est: hic et posteri, per secula multa, artes in-

genuas et scientias subtilissime excoluerunt; et medicinam nullis posthabuere. Nunc demum medici penetralia corporis humani scalpello patefacti perscrutari et cognoscere coeperunt.

HEROPHILUS Coüs, PRAXAGORAE discipulus, et ERASISTRATI aemulus fuit. Hic Carthagine natus, CHRYSIPPO docente, artem medendi didicit. Uterque anno circiter trecentesimo et quinquagesimo ante CHRISTUM natum, solo patrio relicto, Alexandriam adiit, medicinam factum, et mortuorum corpora introspectum. Quicunque sontes capitis poenas persolverint, PTOLEMAEUS eorum cadavera in hunc finem secanda praebuit; quod populum tanto horrore iraque percutit, ut necem HEROPHILO et ERASISTRATO instantem minitatus sit; quam vix PTOLEMAEUS arcere potuit. CELSUS meminit, hos corpora adhuc spirantium patefacere esse solitos, hisce usus verbis: "Longeque optime fecisse HEROPHILUM et ERASISTRATUM, qui nocentes homines, a regibus ex carcere acceptos, vivos inciderint, considerarintque, etiamnum spiritu remanente, ea, quae natura ante clausisset, eorumque positum," &c.: Incredibile nobis vide-

tur, homines tam feros et tam crudeles unquam extitisse.

Libri, quos confecerint HEROPHILUS et ERASISTRATUS, jam pridem fluxere. CELSUS vero, CAELIUS AURELIANUS et GALENUS pleraque iisdem excerpta literis mandarunt. GALENUS sane professus est exinde se omnia fere deduxisse, quae de corporis humani fabrica posteris tradiderit. Rem CHIRURGICAM et ANATOMEN hi potissimum coluere et ditare: aliquanto minus, sed quadam ex parte, morborum curationes provexerunt, et BOTANICEN ampliarunt. Primi omnium cerebri penetralia, et nervos paulo accuratius et doctius descripserunt; hos duplicis generis tulerunt; quosdam nempe sensui, alios motui inservire. Neque vasa chylo sorbendo dicata penitus nesciverunt; etsi officium eorundem nequaquam compererint. Iis florentibus, medicina in partes tres diduci coepit; quarum "una esset, quae victu; altera, quae medicamentis; tertia, quae manu, mederetur. Primam Graeci *διαιτητικὴν*, secundam *φαρμακευτικὴν*, tertiam *χειρουργικὴν*, nominaverunt." Qui apud nostrates CHIRURGUS vocatur, iis temporibus, non nisi manu, id est, ferramentorum ope, mederi

solitus est; ideoque vulnera, aliaque partium exteriorum mala sola, curavit. Medici erat alia omnia excogitare, dirigere, praecipere; ipsoque chirurgo, veluti instrumento, cujus auxilio incepta exequatur, uti.

Post Herophilum et Erasistratum, ars Machaonia potius decrescere quam clarere incepit. Horum discipuli, quanquam permulti, rem medicam quam minime decorarunt aut ampliarunt; et in duas partes se diduxerunt: quidam nimirum experimentis et usu, alii ratione se niti professi sunt. Illi Εμπειρικοι, hi Rationales dicuntur; qui controversiam aeternam, uti existimo, futuram moverunt; quippe quae dotibus quibusdam mentis humanae nusquam et nunquam non a natura innatis et insitis alitur et fovetur. Rationales contenderunt, partium interiorum corporis notitiam necessariam esse, aliarumque rerum naturae; indeque omnium actionum corporis vivi, cum secunda perfruentis, tum etiam adversa valetudine vexati, rationem patere posse: hinc porro, nec aliunde curationes morborum idoneas deducendas esse. Proinde signa et cursum morborum sedulo et acriter observare, aut mortuorum corpora se-

care et introspicere, omnino inutile putarunt. Non quod laude nulla dignandi sunt; quaecunque enim HEROPHILUS et ERASISTRATUS edocuerint aut literis mandaverint, ea summa studio didicerunt. Εμπειρικοι contra, ratione ablegata et contempta, solo duce et auspice experientia se fretos professi, neque fabricam partium interiorum, neque causas morborum abditas, neque actiones corporis vivi, medici interesse cognoscere, neque mortuorum corpora incidere, statuerunt; nihil opus esse, quo rite medeantur, nisi ut causae evidentes, signa, aliaque circumjecta, quae sensibus paterent, sedulo notentur et intelligantur: denique, remedia cuivis aegro accommodata ex hisce similibusque, et usu sensim et gradatim deduci. Acerrime ex utraque parte pugnatum est; et fortasse in perpetuum pugnabitur. Lugendum est tantas lites, per omnia saecula, ingenia excelsissima contrivisse, et inde perquam arti medendi obstitisse. Utrique enim ira et ambitu, inter luctandum, obcaecati, verum quasi medium esse, parique intervallo alterutri parti distare, haud intellexere. Rationales vituperandi sunt, quod res exteras sensibus objectas, et experientia deprehendendas parvi aut nihili fecerint: Εμπειρικοις contra id

vitio vertendum est; quod causas abditas non quaerendas, fabricam corporis humani non cognoscendam, nec ratiocinandum esse, contenderint. SERAPION, qui Alexandriae vixit, horum primus extitisse fertur; e quibus tamen HERACLIDES TARENTINUS celeberrimus fuisse habetur; quique experimentis sane potissimum confisus haud rationem prorsus abjecit. Floruisse existimatur annis fere ante CHRISTUM natum ducentis. Perierunt libri ab eo conscripti; at accepimus, teste CAELIO AURELIANO, eundem de pluribus plantis, animalibus, et naturis effossis, uti remediis adhibendis, scripsisse. Quinetiam CELSUS GLAUCIAM et APOLLONIUM inter Εμπειρικους praecelluisse meminit. Nulli praeter hos medici Alexandriam illustrasse memorantur; etsi non dubitandum, quin post HERACLIDEM complures utriusque partis ibi medicinam fecerint.

III. Multo antequam HERACLIDES artem medicam ornaverit, Romani se rebus gestis terra marique ampliare et decorare coeperant; eo usque equidem artibus et armis valuerant, ut Europa meridionali jam unici potiti sint; et plane totum terrarum orbem, cui imperent soli,

affectaverint. Hinc factum est, ut undique Romam confluxerint peregrini; praesertim Graeci et Aegyptiaci, ingenio, literis artibusque ingenuis imbuti. Inter haec, medicina quoque urbem immortalem visit. Scire licet, Romanos, semper armis quam toga clariores, scientiam omnigenam, Graecis magistris, didicisse; quod CICERONIS libris et aliunde patet; adeo equidem ut voces ipsae, quae artes significarent apud Latinos, fere omnes Graeco fonte ducantur.

Annis circiter ducentis septuaginta et uno ante CHRISTUM natum, ARCAGATHUS, medicus Graecus Romam, artem exercitum, adiit. Ante eum, non nisi circumforanei et pharmacopolae imperiti et inscii Romae medicinam fecerant. LE CLERCIUS affirmat eundem Romam venisse anno tertio, ex quo PTOLEMAEUS PHILOPATOR in Aegypto regnare coeperit; id est anno CCLXXI ante CHRISTUM natum, vel anno ter millesimo septingentesimo trigesimo tertio post mundum a Dei verbo conditum; quo fit, ut urbem petierit annis sexaginta aut septuaginta, antequam HERACLIDES rem medicam ornaverit. Principio Romani ARCAGATHUM plurimi aesti-

marunt; aegrique permulti opem ad eum confugerunt quaesituri. Nec autem multo postea ferramentis et igne saepius usus populo acerbae curationis insueto displicuit; demum hic medicus, Romanis principibus molientibus, et odio populari in eum commoto, ab Italia exulavit.

Per centenos abhinc annos, nulli Romae medicinam fecerunt, praeter circumforaneos rudes et ignaros jam relatos: quibus exactis, ASCLEPIADES eo se recepit. Dum vero ars Machaonia tamdiu Romae dormitaret, medici Εμπειρικοι, aliique Alexandriae Aegyptiacae florebant: nequaquam igitur de medicina hujus saeculi propria tacent auctores.

ASCLEPIADES PRUSAE Bithynianae natus est; ut plures alii, urbem immortalem, opes et honores sibi paratum, adiit. Initio dicendi artem, quam RHETORICEN antiqui vocarunt, edocuit: unde parum lucri adeptus medicinam prosequi et docere coepit. Insigni versutia et acerrimo ingenio procul dubio praeditus fuit. ARCAGATHI non oblitus, populo Romano summa ope placere nixus est; quem in finem se omnibus morbis "cito, tuto et jucunde" mederi solitum professus est, contra curationes Graecas barba-

ras et crudeles. Romani tunc luxu omnigeno emolliti medicum hujusmodi permagni aestimarunt.

Post Herophilum et Erasistratum, nemo hucusque Anatomen luce nova illustraverat, vel auxerat; Asclepiades ejus progressui potius obstitit, quam favit. Callidus et astutus principes et patricios Romanos variis artibus devinxit; quo factum est, ut ejus opiniones, ne novitatis meminerim, cujus populus nunquam non avidus est, quam plurimum valuerint, et artem Apollinarem imperio magno rexerint. Auctores eum non solum fabricam corporis humani nescivisse, verum etiam ejusdem cognitionem omnino contempsisse, nihilique fecisse, tulerunt. Multas rationes penitus absurdas et alienas curationibus adhibuit; easque perperam "Theorias" vocavit; qua gravi sane culpa plures inter hodiernos non vacant. Corpora animantium et brutam tellurem e corpusculis, quorum figurae et magnitudines varient, fieri contendit: spatia iis interjecta hiare, quae apud Celsum "invisibilia foramina" nominantur: et corpuscula tenuiora per haec continenter manare. Hippocrati non parum discrepuit: na-

turam enim semper per se salutiferam, conservatricem et medicatricem esse prorsus negavit; nec raro exitiosam et nocituram proposuit: imo vero naturam ipsam, qualem descripserit rei medicae pater, et dies judicatorios sive CRITICOS, omnino abnuit. Curationes demum Hippocraticae ei ludibrio fuere, veluti imbecillae et inertes. Corpusculis et foraminibus innixus morborum rationes exponere ausus est; remediaque iisdem accommodavit. Uti illa, ita quoque haec, mole et forma inter se diversa esse, perhibuit: quodque scilicet corpusculorum genus sua habere foramina, quae permeet; valetudinem secundam conservari, si illa rite per haec manent: adversam contra nasci, aut si corpuscula grandiora, foraminibus parvis petitis, subsistendo iter claudant; aut si illa exiliora devio cursu ad foramina ampliora deferantur; eoque gigni aut morbos acutos, aut vetustos. Quo melius speciem morborum multiplicem patefacere posset, rationes ex facili mutavit: quas hic persequi alienum duco. Quatuor potissimum remediis usus est; exercitatione, frictione, vino, et victu idoneo. A CELSO, COELIO AURELIANO et GALENO accepimus (qui unici

apud antiquos. Plinio excepto, de hoc medico scripserunt) eum, nullo fere habito discrimine, in pene omnia morborum genera ista remedia praecepisse. Vinum dare solitus est, in omnigenas febres, *phrenitidem*, veternum, destillationes, &c. Exercitatione et victu, aliis atque aliis, fere semper et ubique, usus est. Prae omnibus autem frictio ei placuit. Viri illi illustres Mithridates, et Marcus Tullius Cicero Asclepiadi amicissimi extiterunt. Plures alii medici simul Romae vixerunt, at parvi nominis. Quidam ejus discipulorum libros de materia medica scripsisse feruntur; qui tempore edaci deleti sunt.

Rationales et Εμπειρικοι hucusque soli, veluti magistri, rei medicae imperarunt: cujus scilicet omnes professores, aut experimentis et usui, aut rationi fisi sunt. Tandem vero, controversiis ortis, et medicina ab Asclepiade admodum mutata, nova enata est disciplina; cujus auctores se Methodicos appellarunt. Themison horum princeps Laodicea oriundus et Asclepiadis discipulus, hujus rationibus multiplicibus abjectis aut minoris habitis, studiosusque lites componendi, μεθοδον excogitavit, unde ratio me-

dendi idonea clarius pateret, generisque humani saluti melius consuleretur. Hic medicus a seculo trigesimo nono pene finito post mundum conditum, usque ad medium quadragesimum floruit: non prius hanc novam disciplinam instituit, quam annis jam consenuerit. Adhuc juvenis vestigia ASCLEPIADIS, quo auspice, rem medicam didicerat, secutus est.

METHODICI huic legi institerunt, "mederi oportere, communia intuentem;" id est, morborum causas cognitu necessarias non esse, modo medicus signa communia intueatur et notet; omnesque morbos triplicis esse generis contenderunt: unum scilicet "genus adstrictum esse, alterum fluens, tertium mixtum." HIPPOCRATI quoque assensi morbos aut acutos aut longos, id est, vetustos esse; modoque increscere, modo subsistere, modo inclinari, crediderunt. Rationalibus eo distitere, quod causis ex abditis morborum indagatis medendi rationes deducendas negaverint; notasque evidentes curationem satis edocere perhibuerint: porro, quod signa omnia morborum observare, et quamque rem acriter circumspicere, inutile duxerint; satisque esse quaedam communia intueri, conten-

derint. Hi quoque Εμπειρικοις discrepuere, qui propria intueri oportere, ad causam tollendam, judicaverint; contra METHODICI curandi rationes et consilia e signis morborum evidentioribus et communibus trahenda edocuerunt. Nec difficilius est ostendere THEMISONEM, scilicet METHODICOS, graviter etiam ASCLEPIADI dissensisse. Ille equidem foramina, quorum hic meminerit, sudore perspecto, per cutem scilicet manante, existere comprobavit: nec vero ultra hanc rem magistro assensus est; et morbos corpusculis aut subsistentibus iterque claudentibus, aut nimis celeriter transeuntibus per foramina, tribuere noluit. METHODICI porro solum ad notas morborum communes, ut retuli, animos adverterunt: unde nimirum cognoscant, astricti sint, fluentes, an mixti. ASCLEPIADES contra opinatus est, uti Rationales et Εμπειρικοι, observandas esse notas omnes, cum evidentes, communes et graves, tum etiam obscuriores et leviores; quo rite curare possimus.

METHODICI rationem supra comprehensam secuti duobus remediorum generibus usi sunt: nempe, quae astringendo, et quae laxando sint habilia; iisque nixi sunt, rationi Hippocraticae

convenienter; scilicet corpus laxatum astringere, astrictum solvere, extenuatum implere, plenum extenuare, soliti. THEMISON, omnium primus, hirudines, ad venas vacuefaciendas, imposuit: veri tamen est simile, ante THEMISONEM, homines non ignorasse, hasce cuti admotas cruore se satiare: HORATIUS facundus ita enim apud artem poëticam cecinit:

"Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo."

Hunc medicum multa utilissima ad medendi artem pertinentia scripsisse accepimus; quae omnia, praeter pauca ab COELIO AURELIANO excerpta et conservata, periere: Quo equidem, CELSO et GALENO quoque freti, quicquid de medicina Themisoniensi innotuerit, didicimus. PROCULUS et EUDEMIUS soli ex THEMISONIS discipulis tam inclyti fuere, ut nomina posteris tradita fuerint.

THESSALUS post THEMISONEM primus artem Apollinarem exornavit: quem LE CLERCIUS annis quinquaginta serius floruisse, NERONEque imperante, asserit. Huic auctori spectatissimo de hac re prorsus consentire nequeo: THEMISONEM enim dimidia parte seculi quadragesimi exacta post mundum conditum, id est, anno cir-

citer quinquagesimo quarto ante AERAM CHRISTIANAM inceptam vixisse scribit. Quod si THESSALUS quinquagesimo anno post THEMISONEM medicinam fecisset, CHRISTO jam nato, eum floruisse oportuisset; ideoque, nequaquam imperante NERONE, sed AUGUSTO: nisi equidem putemu LE CLERCIUM potius de tempore, quo THEMISON vixerit, errasse.

Quum THEMISON, ut supra retuli, jam senex medicinam METHODICAM excogitaverit, principiis et legibus certis eam firmare et stabilire non potuit. Hanc palmam THESSALUS sibi praetulit; qui, paucis tantum mutatis, rationem METHODICAM adhibuit, et incrementis locupletavit. GALENUS, qui persaepe hic illic THESSALUM contumelia persequitur, artifice ignobili, qui lana carminanda victum sibi quaesiverit, natum retulit; quod nobis ei honori non dedecori videtur.

THESSALO defuncto, SORANUS EPHESINUS inter METHODICOS deinceps enituit; quem LE CLERCIUS, Romae imperantibus TRAJANO et ADRIANO, medicinam excoluisse perhibuit; quod si eum non fefellit, constat SORANUM pene finito seculo primo, et ineunte secundo post natum

CHRISTUM, viguisse. Libris, quos confecerit, deletis, ejus opiniones et praecepta de re Machaonia, teste COELIO AURELIANO, cognovimus: qui sane confitetur se non nisi ea, quae SORANUS scripserit, Latine reddidisse. Hoc igitur auctore fonte usi, SORANUM virum acerrimi et amplissimi fuisse ingenii credimus: imo etiam GALENUS ipse, odio in METHODICOS nunquam non permotus, SORANUM, reliquis contemptis, plurimi existimavit. Alii eodem nomine designati rem medicam coluere; qui omnes annis permultis post hunc eximium vixere; unoque excepto, qui de vita HIPPOCRATIS, et morbis mulierum propriis libros ediderit, jure praetermittendi.

Proximus SORANO inter METHODICOS praecelluit COELIUS AURELIANUS. Ea laus insignis huic medico debetur, quod leges et rationes medicinales a pluribus majorum institutas, quorum libri interierint, memoriae mandaverit. Potissimum de DIOCLE CARYSTIO, PRAXAGORA, HEROPHILO, ERASISTRATO, SERAPIONE, HERACLIDE TARENTINO, ASCLEPIADE, THEMISONE, THESSALO, SORANO et aliis, maximeque METHODICIS, conscripsit. Siccae Numidiensis natus est;

quando autem, quibusve temporibus floruerit, minus patet. Le Clercius conjecit eum et Galenum simul artem Machaoniam illustrasse et secutos esse ; quod probabile esse duco. Multi profecto ante Coelium Aurelianum eximii nituere: cum vero ultimus extat et praecipuus omnium Methodicorum (perpaucis exceptis, memoratu vix dignis,) quorum libri nobis sint in manibus ; satius et potius duxi, hic loci, missis caeteris ejus disciplinae cultoribus, de Coelio Aureliano disputare.

Multos morbos, cum acutos, tum quoque vetustiores, descripsit : eosque, Methodicos imitatus, aut adstrictos, aut fluentes aut mistos constituit. Methodicis tamen multa dissensit ; quae fuso sermone meminisse consilio meo minus convenit. Plurima remedia ministravit ; maximeque victui et exercitationi institit. Permagni interesse judicavit, ut conclavia, ubi aegri habitent, perflatum habeant idoneum, aëreque singulis accommodato instruantur : quem modo humidum esse, modo siccum, modo herbis et floribus fragrantibus odorari, oportere, contendit. Nec leviori studio animum ad vestes et lectos, quibus aegri uterentur, appulit.

Jam convalescentibus imperavit, se exerceant; et quisque modo proprio prout ratio virium et valetudinis postulet; legesque tulit accuratissimas de ea re. In omnibus morbis curandis, instar METHODICORUM aliorum, seriem, ordinem vel circuitum certum, quem κυκλον vocarunt, secutus est: scilicet, si una medendi ratio, quam primam adhibuerint, spem fefellerit, protinus ad aliam confugere: dein, hac quoque inutili, ad tertiam, quartam, vel etiam quintam: dum aegri infelices tandem innumera pene remedia sumpserint, et multa experimenta satis injucunda subierint.

Ex quo THEMISON floruit, usque ad COELIUM AURELIANUM, medicina in tantum vacillaverat, tot tamque varias sibi formas induerat, ejusque professores tantum invicem distiterant, ut ea ipsa discordia novas disciplinas tres pepererit: scilicet orti sint EPISYNTHETICI, ECLECTICI, et PNEUMATICI. Horum de prioribus duobus perpauca innotuere; et de eorum opinionibus judicamus, fere solummodo nominibus, quae eos designarent, perpensis. Quod ad PNEUMATICOS, aliquanto plus lucis accepimus. ATHENAEUS horum princeps extitit; cujus libri, et omnium e-

jus discipulorum, praeter ARETAEUM, interiere. ARETAEO itaque duce et auspice innitimur; unde medicinam PNEUMATICAM intelligamus.

ARETAEUS Cappadox iisdem temporibus, quibus GALENUS, vixit: perinsignem honorem et laudem jure sibi praeripuit, quod, ordine lucido habito, clarissime morbos descripsit, et inter se discrevit. Tanti sane existimari consuevit, ut vel recentiores, medici nimirum, qui seculum decimum sextum pene finitum, et iniens decimum septimum illustraverint, ei optimo duci confisi sint. Multum fidei exercitationi omnigenae, balneo, et medicamentis manu impositis habuit. PNEUMATICOS alios secutus novum posuit elementum, vel rerum principium, cui nomen "Spiritus:" cordi et arteriis hunc spiritum inesse, incitamento proprio. Caligine tamen quadam hoc principium, vel, ut alias eloquar, medicina PNEUMATICA, versatur. Spiritum, quoque genere valetudinis adversae urgente, perturbari; eam turbam praesertim morbos facere; et aliis principiis molientibus, gigni, contenderunt. Causas igitur morborum continentes exinde patefacere conati sunt.

Sequitur ut de CELSO quaedam disseram,

praeter unum, omnium ultimo, de quibus meum est agere. Aulus Cornelius Celsus, vir ingenio cultissimo, artibusque ingenuis exornatus, Augusto et Tiberio imperantibus, Romae vixit. Quintilianus, auctor facundissimus, meminit eum multis artibus et disciplinis, praeter medicinam, imbutum fuisse: quo perspecto, nonnulli crediderunt Celsum non in studium medicinae incubuisse, quo sibi opes et honorem paret; sed eam oblectamento prosecutum fuisse, nec inedia coactum, nec gloriae appetentem. Libri ejus de Re Medica conscripti unici nobis sunt in manibus; qui animum acerrimum, sagacem et omnia circumspiciendo aptum praedicant; aurea Latinitate decorantur; saepiusque, quam omnes alii vetustiores, perlegi solent. Quicunque sane vel oratione nitida delectatur, vel medicae artis studiosus est, haec exemplaria ornatissima "manu nocturna et diurna" versabit. Opera ejus e libris octo brevioribus constant, quae totam medicinam antiquorum amplectuntur. Initio rei medicae historiam concinne proponit. Liber primus quosdam morbos partium interiorum comprehendit; secundus quosdam alios, et multa remediorum gene-

ra. Tertius et quartus febres aliosque morbos interiores habent; quintus et sextus morbos exteriores, qui manum vulnerarii non desiderant: porro hic de materia medica et medicamentis compositis apud Romanos usitatis agitur. Liber septimus et octavus eos continent morbos et casus, qui manu, id est, arte vulnerarii, curantur.

CELSUS "nullius addictus jurare in verba magistri" viam sibi patefecit; nisi equidem ECLECTICUS habeatur; HIPPOCRATEM et ASCLEPIADEM pluris quam alios habuisse videtur. Ea quae de re CHIRURGICA, et de indiciis mortis aut salutis futurae scripserit, praesertim e libris Hippocraticis excerpsit. Inter febres et alios partium interiorum morbos curanda, ASCLEPIADE duce potissimum usus est.

Superest medicus, de quo penitus silere non oportet; scilicet DIOSCORIDES, qui de Materia Medica scripserit. Omnia medicamina apud veteres nota descripsit; sed tam obscure, ut interprete opus sit, quo rite ejus sensum capiamus. Omnia medicamenta triplicis generis proposuit; nempe, terra nata, vel plantas; animantibus orta; et effossa. Singulorum dotes,

et praeparandi rationes edocuit; viresque medicas adjecit. Quinque libros scripsit; qui integri furori barbarorum superfuere.

Dioscorides Anazarbae Cilicianae natus est: Neroneque et Vespasiano imperantibus, vixit.

Opere nunc absoluto, oportet ut, qua luce usus latebras hujus argumenti amplissimi exploraverim, candidus fatear: quibusque auspicibus ducibusque fretus, haec exegerim. Le Clercio igitur, aliisque auctoribus, qui operam huc contulerint, confisus, ope aliunde non petita, hoc opusculum confeci. Libros antiquorum omnes vel plerosque evolvere et perlegere, perpaucos sane penes est. Adolescentis porro, medendi artis studiosi est, potius hodiernos et recentiores auctores, unde quicquid huc usque ingenium humanum medicinae adjecerit, ediscat, adire.

FINIS.